



## The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **PIENTISSIMAEC MATRIS\*** TITULUS AC PRIVILEGIA BASILIEAE  
MINORIS PAROECIALI ECCLESIAE  
BEATAE MARIAE VIRGINIS A MISERICORDIA IN URBE «APIZACO»,  
INTRA FINES TLAXCALENSIS DIOECESIS, CONFERUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Pientissimae Matris  
Mariae, a Misericordia appellatae, honori egregium templum in urbe «Apizaco» intra fines, Tlaxcalensis dioecesis,  
surgere perhibetur. Quod quidem religione tam est insigne, ut qua Sanctuarium a populo fidei impense celebretur, et  
opere tam nobile, ut laude probetur communi. Cupiens vero huius ecclesiae marialis dignitatem augere et Christifideles  
ad vel maius pietatis studium provocare, Venerabilis Frater Aloisius Munive Escobar, Tlaxcalensis Episcopus, vota  
quoque significans cleri populique pastoralibus curis suis commissi, Nos rogavit, ut idem templum Basilicae Minoris  
nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenti animo auditis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa  
scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in  
modum paroeciale ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Misericordia in urbe «Apizaco», intra fines  
Tlaxcalensis dioecesis, consecratam, ad honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis,  
quae templis eodem nomine insignibus rite competit. Contrarii quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus,  
decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ae permanere; suosque plenos atque  
integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime  
suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a  
quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo*  
*Piscatoris, die V mensis Decembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

\*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 8, p. 521